# DE CYCLAMINO. CAP. CLXX.

C

## NOMINA.

*Cyclaminus unde dicta.*

*Ichthyotheron.*

*Rapum terræ.*

*Tuber terræ.*

*Vmbilicus terræ*

*Panis porcinus.*

*Panis terræ.*

ΚΥΚΛΑΜΙΝΟΣ, ἰχθυόθηρον Græcis, Rapum & tuber umbilicusq; terræ Latinis, Cyclamen officinis mutata uoce, Panis porcinus & terræ, atq; Arthanita à noſtræ ętatis herbarijs, Germanis **Erdwurtz oder Apffel/ Schwein oder Sewbrot** dicitur. Cyclamino Græci nomen fecerunt, circumactã in orbem eius circinationẽ contemplati, ἀπὸ τοῦ κύκλου, quaſi ab orbe Cyclaminon, hoc eſt, orbicularẽ dixerunt. Fuitq; hæc prior & antiquior plantæ huius appellatio. Ichthyotheron uerò ijdem, quod piſces ea necantur nominauerunt. Romani Rapum terræ, quoniam eius radix in terra uelut Rapum extuberat. Quaſanè ratione terræ tuber, quod in molem quandam intumeat: aut umbilicum terræ, quoniam ut umbilicus circinata forma emergit, ſic & Cyclaminus ſub terra conſpicitur, etiam appellarunt. Panem porcinum hauddubiè primum uocarunt ſubulci, qui pecori ſuo radicem huius gratam pabulis cognouerunt. Cæteri antiquum Cyclamini nomen ignorantes, quod ſæpius radicem in orbem circumactã intuerentur, quæ non in globum intumeſcens, ſed ueluti preſſa ſeſe in latitudinem explicaret, qua forma quotidiano uſu panes uiſuntur, terræ panem cœperunt appellare.

## FORMA.

Folia Hederę habet, purpurea, uaria, ſuprà infraq; albicantibus maculis. Caulem longitudine quatuor digitorũ, nudum, foliijsq; carentem, in quo flores roſarum effigie purpurei. Radicem nigram, rapo ſimilem, in latitudinem ſe pandentem.

## LOCVS.

Naſcitur in umbroſis & uepribus, maximè ſub arboribus.

## TEMPVS.

Cyclaminus ad finem Auguſti folia ſua quæ per integrũ retinuit, amittit, & ſub-
D inde noua emittit, atq; ſtatim inter ea flores oſtendit, qui integro durant autumno.

## TEMPERAMENTVM.

Clarum eſt ex particularibus operationibus, quas ſtatim ſubijciemus, Cyclaminum eſſe calidam & ſiccam in tertio ordine.

## VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix Cyclamini cum hydromelite pota, pituitam, aquamq; per inferna trahit. Menſes pota & appoſita cit. Tradunt ſi prægnans mulier radicem tranſgrediatur, abortum fieri. Partum appenſa accelerat. Bibitur & in uino contra letalia, præſertim leporẽ marinum. Illita contra ſerpentiũ ictus remedio eſt. Immiſta uino ebrietatem facit. Regium morbum ſiſtit tribus drachmis pota cum paſſo, aut diluta mulſa. Sed oportet eum qui bibit cubiculo calido reclinare, multis ueſtibus cõtectum, quò ſudet. Ejectus uerò ſudor felleus colore inuenitur. Succus eius ad purgandum caput, naribus inſtillatur. Sedi etiam deijcienda excrementa in lana ſubijcit. Vmbilico, imo uentri & coxæ illitus ſuccus aluũ mollit, uerum abortũ efficit. Suffuſis & hebetibus oculis inunctus cum melle ſuccus prodeſt. Medicamẽtis abortũ inferentibus admiſceẽ. Sedem procidentẽ cum aceto inunctus ſuccus cõpeſcit. Exprimitur tuſa radice ſuccus, & ad mellis craſsitudinẽ decoquit. Radix cutem extergit. Exanthemata reprimit. Vulneribus per ſe ex aceto aut melle medeẽ. Illita lienẽ minuit. Vitia cutis in facie à ſole & alopecias emendat. Decocto eius luxata, podagra, & capitis ulcuſcula, pernionesq; utiliter fouent. Ipſaq; in uetere oleo feruefacta, ad cicatricem perducit quæ oleo illo inuncta fuerint. Cauata radix oleo expleẽ, & cineri feruenti imponit, adiecto interdũ thyrrhenicæ ceræ modico, ut ſtrigmenti craſsitudinem contrahat unguentũ, cum primis utile pernionibus. Radix Scillæ modo conciſa reponitur. Narrant ad amatoriam aſſumi cõtuſam, & in paſtillos conformatã.

## EX GALENO.

Cyclaminus uarias uires obtinet, nam & extergit, & incidit, & ora uenarum aperit, & attrahit, & diſcutit. Clarum uerò id eſt ex particularibus operibus. Nam ſuccus eius